NONNULLA DE MORBIS PANCREATICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROLUS LUDOVICUS MEDICUS
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

I. F. SCHRAMM, MED. ET CHIR. DR.
G. BECK, MED. ET CHIR. DR.
H. WIRTH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PATRUO DILECTISSIMO

C. COESTER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PUBLICO
APUD KIRNENSES MERITISSIMO,

HOCCE

OPUSCULUM IUVENILE

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si quis ab interno animi impetu minus impulsus, sed ex suo ipsius arbitrio, vanitate ductus, temere res litteris mandat, omnino is vituperandus est atque impediendus. Sin autem lege quadam, cui plane obediendum est, ut palam aliquid agat, cogitur, etiamsi mancum fiat, opprobrio esse ei minus potest. Equidem profecto, nisi vetusta majorum lege e pristinis temporibus nobis tradita, quae unumquemque, qui summos artis medicae honores in se conferri cupit, dissertatione, uti vocatur, in publicum edita, voti compotem fieri jubet, coactus, jamjam litteris mandare aliquid non ausus essem, quippe qui, me juvenem omni experientia destitutum atque vix primis artis medicae elementis imbutum, neque novi aliquid, neque, quae comperi, laute proferre posse, bene sciam. Itaque si meo ipsius arbitrio obsequi licuisset, virium mearum modulum respiciens et timore et pudore, qui a natura mihi inhaeret, victus, quominus opus con-

scriberem, magnopere impeditus essem. Attamen est conditio illa, quae unumquemque, qui artis medicae honores adipisci vult, in scriptoris gradum ascendere, et auctoritatem, quam saepe vires minime aequant, sibi arrogare quasi jubet. Ideo obedire tantummodo melius conducere visum.

Quae, quum ita sint, quis est, qui merito me reprehendat, si, quae in medicorum clarorum libris inveni et quae ex ore virorum doctorum memoria digna accepi, hic conscripta et in ordinem pro viribus meis redacta, leget? quis porro est, qui mihi opprobrio vertat, si minus laute proposita peregerim, quum, quaecunque lege exigiantur, haud magni pretii habenda, inter omnes constet?

Quod autem in publicum ederem, quum saepius huc atque illuc considerassem, denique de malis pancreatis affectionibus nonnulla conscribendi consilium cepi non quo uberiora atque meliora de his dicere possem, sed quia minus tritae sunt, et quibus ipse magis edocerer.

DE MORBIS PANCREATICIS.

Quod de multis morbis merito queruntur, difficillimos eos esse et cognitu et sanatu, majori jure etiam in malis pancreatis valet, quippe quod omnium glandularum more rarius acuto afficiatur vitio, ideoque symptomata minus perspicua afferat et insuper tam absconditum multisque aliis organis multo gravioribus circumvallatum teneat locum, ut plerumque neque visui neque tactui adsint signa, neque, si adsunt, a vicinarum partium crebrioribus signis facilia sint distinctu. Etiam glandulae officium haudquaquam plane patet inter eos, qui physiologiae student, quorum alii eodem, quo glandulae salivales, munere eam fungi dicunt, alii negant. Succum autem pancreaticum digestioni inservire, perspicuum atque ex ipsius glandulae officina colligi posse videtur. Ex animalibus vivis sumtus aquosus est, coloris expers, salsus, evaporatione instituta natrum muriaticum et pro maxima veri specie ammonium muriaticum, humorem tenacem, qui aqua facilius, quam saliva solvitur, relinquit. Interdum, ubi e glandula valde irritata secernitur aciduli aliquid habet, aut certe accipit, ita ut lac coagulet. Sin autem aliorum perscrutatus eris analyses, magnopere ab-

horrentes eas invenies, neque est, si tot et tam varias respicimus analyses, quin pancreatis officium, etiamsi non sit idem, quod glandularum salivalium, saltem tamen affine esse, statuemus, quum etiam saliva tam variabilis, quam succus pancreaticus inveniatur, ut modo salsa sit, modo acida, modo aliter mutata. Neque abhorrere videtur a veritate, si, pancreatis functionem cum jecinoris officio arcte esse conjunctam, dicimus, quum et ductus amborum uno eodemque intestini duodeni loco finiantur et pancreas ipsum in omnibus animalibus hepate instructis reperiatur. Succum autem illum majoris momenti non habendum, ex hoc colligi posse videtur, quod, glandula illa in canibus vivis maximam partem exstirpata et reliqua parte ligatura contracta, nil detrimenti exstitit animalium valetudini.

SYMPTOMATOLOGIA.

Unicuique morbo, quo difficilior est cognitu, eo major signorum numerus attribuitur, quia omnia in omnibus his morbis signa collecta, quae ad malum etiam remote tantum referenda sunt, memorantur, quum symptomata, quae vitii diagnosin certam statuant, non adsint. Quod quum in pancreatis affectionibus etiam eveniat, rei nostrae melius conducere visum, si signorum cumulum ad ordines redigeremus et in duas quasi classes imprimis divideremus, quarum una signa idiopathica, altera amplectitur sympathica.

A. De signis, quae pancreas ipsum offert.

Dolor sentitur intra umbilicum et scrobiculum cordis magis dextrorsum, ad dorsum versus, in intimo ab-

domine fixus; saepius etiam quasi in columna spinali et praecipue in superioribus vertebris lumbalibus haeret, paululum infra stomachum dextrorsum, aut, si pars pancreatis sinistra aegra est, magis sinistrorsum vergit. Interdum etiam dolor sursum atque deorsum aut in adversum et in obliquum trahitur. Neque mutatur variis ventriculi conditionibus, attamen, si hic cibis plane refertus est atque si thorax tussi vel sternutatione convellitur, aut si corpus movetur, vehementior fit.

Calor quidam fixus insolitus et valde onerans, qui imprimis post coenam et vesperi ardet, dolori conjunctus est.

Rarius autem, neque in omnibus pancreatis morbis, tumorem, et maxime tantum stomacho jejuno et relaxatis abdominis integumentis, eodem loco, quem dolorem tenere diximus, manu indagans invenies. Si leviter tantum regionem epigastricam tetigeris, dolorem vix excitabis, attamen interdum, si vehementius presseris.

Incubitus lateris sinistri incommoda fere semper et nonnunquam gravia infert. Lateri dextro autem incumbere aegri maxime diligunt, quia tunc relevationem doloris insignem percipiunt. Incubitus vero tergi, stomacho repleto onerante, difficilis; etiam truncus cito verti aut erigi sine dolore non potest. Omnino corpus secundum varia pancreatis vitia varie tenetur. Hos igitur erecto thorace jacere juvabit, illi situ horizontali magis relevabuntur, quod quidem in singulis pancreatis morbis enumerandis magis elucebit. Si in adversum flectit aegrotans truncum, quasi onus stomacho incumbens sentiet, quod hoc quidem situ, ut ex loco posteriori et extra stomachum sito pendens facilius distinguetur.

Secretio succi pancreatici ad varios morbos varia, aut aucta, aut imminuta, aut alio modo mutata, atque si aucta est, sive per os major liquoris copia emittitur, quam siolorrhoeam vocant scriptores abdominalem, sive alvi excretiones crebriores et aquosae fiunt, quibus diarrhoeae salivalis nomen inditum. Signa vero, quibus in quovis casu de secretione seu aucta seu suppressa decernere possimus, certa hucusque desiderantur. Succus enim ille, quominus in aspectum nobis veniat, saepe impeditur. Atque etiam exempla ab auctoribus referuntur, per totum morbi decursum fluxisse diarrhoeam, qua liquor salivae admodum similis rejectus esset; cadaveribus autem dissectis pancreatis talem inventam esse conditionem, qualis omnem omnino secretionem tollere debuerat. Quare, tractum intestinorum tunc pancreatis munere fuisse defunctum, opinio haud aspernanda esse videtur. Diarrhoea autem salivalis principio quidem morbi pancreatis vitia minoris momenti, neque tam acuta, quam obstructio alvi significare videtur, nisi illo modo ratione sympathica exorta est. Etenim, irritationem minus validam secretiones augere, fortiorem prorsus supprimere, regula est generalis.

Idem fere de exspuitione liquoris limpidi, ex pancreate et ex ventriculo accedentis, dicendum. Nam aegro vel loquente vel dormiente inter eructationes sempiternas partim mucus quidam tenax, spumosus, aquosus, partim aqua clara, lenta, salivae similis destillat; aut dormientem forsitan clauso ore, irruens per laryngem, salivae copia, et suffocationis periculum minata, e somno deside-

rato excitat (1). Qui ptyalismus accrescit et interdum maxime profusus fit. Quando autem glandula acutioris indolis morbo implicita, aut si omnino invia facta, aut diruta est, non animadvertitur, imo vero tunc et oris cavitas persicca et sedes interdum rarissimae et exsiccatae sunt. Aliis vero salivae per pendula oris labra continuo fluxu derivantur, alii autem sive consuetudine ducti, sive liquoris copia coacti, omnia vicina sibi loca plane inundant. Sunt, quos oscitare repentinus quidam impetus impellat, quo facto liquoris aquosi neque quidquam redolentis neque sapientis plures saepe unciae fluvio continenti quasi inter ruminationem prorumpunt (2).

B. De signis sympathicis.

1) *Symptomata, quae systema reproductionis laesum praebet.*

Ventriculi vero reliquorumque intestinorum tractus officium fere semper laesum alienatumque est. Interdum enim morbi initio ciborum cupiditas valde aucta, quam famem caninam vocant, nequaquam autem, uti nonnulli volunt (3), pro signo pathognomonico haec habenda est. Imo vero saepius, in posteriori saltem morbi decursu, diminuta nutrimenti solidi appetentia, aut, si aliquis adest, carnem praecipue et hanc salsam fumoque siccatam aegroti cupiunt (4). Sin autem, hos carnis fa-

---

(1) P. Frank de cur. hominum morb. Mannh. de profluv. p. 86.

(2) Reil von d. Erkennt. u. Kur d. Fieber. Hal. 1802. III. p. 358 sqq.

(3) Döring, Altenb. Med. Annal. 1817. April. Heft 4. p. 67 sq.

(4) S. G. Vogel, Handbuch d. pract. Arzneiwissensch. B. VI. p. 166.

stidio semper vexari, alii tradunt, haud iniquum esse censemus, si, tunc hepar una cum pancreate laborasse, contendimus, nisi forte jam suppurat pancreas, aut si malum ejus jamdudum exstat et praecipue in vini adusti potatoribus.

Sitis vero nonnunquam inexplebilis miseros cruciat adeo, ut una nocte aquae frigidae tres ad quatuor mensurae ab ipsis mulierculis teneribus parvo tantum cum levamine exhauriantur (1).

Saepe autem aegrotans nauseose affectus est, vomiturit quavis hora diei, jejuno etiam stomacho, neque quidquam vomitu relevatur. Post coenam et, exhausto antea potu calido, a molesto quodam sensu in regione epigastrica vomitus initium capit. Emittitur autem vomitu materiae aquoso-mucosae, salivalis, multifarie saepe compositae et tinctae, intermixta interdum bile, magna copia, quae etiam plures saepe libras (2) per diem efficit. Sandrinus, illos, quos pancreate laborantes vidit, praecipue massam colore tabacino praeditam ejecisse, dicit (3).

Licet autem omnium, quae pancreatis vitia concomitantur, symptomatum frequentissime observetur, attamen pro signo pathognomonico minus habendus vomitus, quum in multis etiam plane desit. Praesto est quoque casus, quem Riverius (4) observabat, ubi facultas

---

(1) Schmidtmaun in Hufeland's Journ, B. VIII. St. 4. p. 16.

(2) Frank l. c. B. V. P. 1. p. 90.

(3) Morgagni de causis et sedibus morborum per anatomen indagatis. Edit. var. Lib. III. Ep. 30. Cap. 8.

(1) Observ. med. cent. 1. No. 90.

ipsa vomendi omnino desiderabatur. Hominis cujusdam, qui ingenti pancreatis scirrho jejunum intestinum tantopere prementi, ut vix quidquam ciborum possit transire, oneratus erat, ne emeticis quidem vomitus suscitari poterat. Quod quidem, vomitu non tantum leviora pancreatis mala carere, probat. Minus gravis haud raro est, interdum autem tam dirus, ut etiam animi deliquiis excipiatur. Nunc vero sponte sua, nunc corpore resupinato, nunc incubitu lateris sinistri cietur vomitus, nunc stomacho repleto. Sed quando solito tempore non revertitur aut supprimitur, majores etiam molestiae oriri solent, atque postremo, regione gastrica magis tensa, ructibusque copiosius ascendentibus, impetu multo vehementiori prorumpit. Alii autem rarius tantum et per breve temporis spatium, alii frequentius atque diutius vomitu vexantur. Morgagnius matronam quandam nobilem, annos triginta tres natam, pancreatis vitio organico, ut mater, affectam, vita defunctam esse narrat, postquam quotidie per viginti quatuor annos cibos secunda quaque post dapes sumtas hora rejecerat.

Huc etiam ingestorum ruminatio, quae quidem rarissime occurrit, cujus autem exemplum, in pancreatis scirrho ingenti nisum, Cel. Frank observabat, referenda videtur (1).

Dolores quoque ventriculi sympathici et leviores et dirissimi, qui a cardialgia idiopathica signis synchronicis distingui poterint, pancreatica mala nonnunquam comitantur.

Glandularum salivalium mutatio nulla, sed tantum

(1) L. c. Lib. V. P. II. p. 352.

vel ex consensu, vel interdum vicariam salivam sive tenacem, sive spumosam, sive sine sapore, sive salsam, sive acutam copiosiorem mittunt. Aliquando autem non solum pharynx, sed etiam oris cavum omnis salivae expers et plane siccum est (ut in pancreatitide acuta). — Deglutitionem vero initio fere nunquam turbatam videmus, sed increscente malo atque stomachum cardiamque irritante et comprimente impeditam invenies. Etiam singultus sub finem morbi lethalem saepissime adesse solent.

Tubus autem intestinorum reliquus praeter tormina doloresque colicos maxime varios, borborygmos, flatus, secretiones aut diminutas aut auctas praebet. Sed obstructio alvi saepius initio morbi neque aegrum, etiamsi plures, non solum dies, sed etiam hebdomates perduraret, aeque ac diarrhoea detrudens, occurrit. Quo vehementior sialorrhoea fluit eo pertinacius sedes adstrictae esse solent, quibus sublatis plerumque fit, ut ptyalismus pancreaticus discedat. Obstructionem vero pertinacissimam tandem aut remediis aut morbi indole victam diarrhoea, principio interdum alternans cum sedibus sanis, deinde valde vehemens sequitur. Materiei, quae alvo ejicitur, varietas maxima: modo aquosa est, modo spumosa, tenax, purulenta, etiam striis sanguinolentis tincta, modo alba, modo fusca, interdum cum faecibus, saepissime sine illis. Etiam hepar, si tumor pancreatis morbo simul mutatus, aut invius factus est onere incumbente, adversae valetudinis signa praebet (1). Eodem modo lien male affectus esse potest.

---

(1) Koréff diss. sist. theoretic. considerationem icteri no-

Ex urina minus signa petenda. Maxime variabilis est et interdum tantum, si glandula suppurat, pus ei admixtum.

2. *De signis, quae ex systemate vasorum proficiscuntur.*

Palpitationes cordis non solum connexu sympathico, sed etiam magis tumoris pancreatici mole vasa opprimente saepius gignuntur (1).

Raro autem illi morbi tam acuti sunt, ut cordis pulsus accelerent. Sed sub exitum lethalem febris hestica ardere coepit.

Etiam pulsatio, quam epigastricam (2) vocant, inter scrobiculum cordis et regionem umbilicalem, incumbente aortae abdominali glandulae auctae onere, interdum tanta occurrit, ut etiam oculis perspicienda sit. Interdum autem aeger jamdudum imprimis corpore celeriter moto illam pulsationem quasi ex anevrismate pendentem, antequam videri et tactu percipi possit, sentit (3).

In venis autem abdominis vitio illo, praesertim in venis haemorrhoidalibus, sanguis retinetur, quo facto plethora abdominalis atque in hominibus, qui nequaquam ad eas proni sunt, haemorrhoides oriri possunt (4),

---

vis quibusdam causis simul superstructam. Halae. 1763. §. 12. Lieutaud histor. anat. ed. Schlegel. Longasaliss. 1786. I. p. 298.

(1) Störkius ann. sec. med. Vienn. 1761. p. 245. sq.

(2) Kreisig d. Krankh. d. Herzens systemat. bearbeitet. Berlin 1814. I. p. 309. sq.

(3) Doering. l. c.

(4) F. L. Bang selecta diarii nosocom. reg. Frideric. Hafn. 1783-87. T. II. p. 408.

omnesque ceteri abdominis et extremitatum inferiorum morbi, qui ex sanguine stagnante proficiscuntur.

3. *De symptomatibus, quae systema respiratorium largitur.*

Thoracis autem officium vario modo alienari potest. Pancreas enim in molem immensam, ut saepius fit, mutatum, diaphragma, quominus inter inspirationem satis descendat, prohibere, atque ita respirationem anhelam brevemque reddere, perspicuum est. Neque solum oneri suo diaphragmati, sed etiam vasis sanguiferis incumbens sanguinisque circuitum liberum ita intercludens, pulmonum provinciae impedimentum infert (1). Atque etiam ascites et hydrothorax, qui haud raro cum malis pancreaticis societatem ineunt, officio respiratorio obviam sunt. Neque, alvi obstructionem diu permanentem fortasse idem efficere posse, negemus.

4) *Signa, quae systema nervosum affert.*

Inquietudine quadam morbos illos comitante, et cum illis sive increscente, sive remittente (2), aegrotantes saepe affecti sunt.

Etiam de anxietate praecordiorum, vomitum et antecedente et concomitante, quam quidem non solum ex intercluso sanguinis itinere, sed etiam ex affectione quadam sympathica proficisci putemus, conqueruntur.

Animo quoque aegroti percelluntur, tristes, melancholici redduntur, facile perturbantur et ad iram irritantur.

---

(1) Observ. med. rar. et conquisit. a J. Schenkio a Grafenberg. Francof. 1600. p. 738.

(2) Harles l. c. p. 68.

Omnes fere, qui pancreate laborant, viribus magnopere brevi debilitantur artuumque gravitatem nimiam atque dolores, de quibus supra diximus, sentiunt.

Animi deliquia rarissime tantum occurrunt (1). Vigiliae autem pertinacissimae in morbis pancreaticis, licet parvi interdum momenti, rarae haudquaquam, aegros maxime angunt.

5) *Signa ad habitum referenda.*

Aegroti vero plerumque ultima macie brevi tempore conficiuntur et tantopere contabescunt, ut ossium seriei, quam sceletum vocant, haud dissimiles sint. Neque, quomodo haec tabes tam celeriter increscat, quum pancreas tam parvi momenti sit organon, facile est intellectu. Nam, ex quotidiana humoris vitalis jactura sola eam proficisci, vix credibile. Neque etiam digestio ciborum statim tam turbata est, ut illam efficere possit. Itaque forsan, quod ductui thoracico incumbens pancreas aegrotans chyli viam facile intercludit, haud levioris momenti aestimandum esse videatur.

Facies, quam vocant abdominalem, ut alios organorum abdominis morbos, ita etiam hos haud ferme longum tempus deficere solet. Vultus plerumque languidus, inquietus, tristis, miserabilis, facies collapsa, pallida, cadaverosa.

Cutis autem in omnibus fere, qui ex pancreate male affecti sunt, singulari quodam modo defoedata, sicca, tenax, habitum pergamenum quasi referens, omni fere turgori vitali destituta, facilis motu et in longas plicas ele-

(1) Störckius l. c.

vatu, coloris plerumque expers, parum sensibilis, apud plurimos pallida, flavescens aliquantulum, interdum etiam plane icterica.

DIAGNOSIS.

Et inter se et a vicinarum partium malis morbi pancreatici, imprimis si nuper exorti sunt, difficillimi distinctu. Quomodo autem inter sese differant, quantum fieri potest, ex iis, quae infra dicturi sumus, colliges; quomodo ab aliis morbis, ad exiguam nostram, quam haud multo majorem hujus quidem rei etiam doctissimi servant, scientiam hic afferre studebimus.

Quae signa stomachus laborans praebet, quo recentius malum est, eo maturius post coenam praecipue elucent, et quidem prae ceteris tunc vomitus, qui omnino frequentius, quam in pancreatis morbis, hic occurrit, vehementior est. Diarrhoea autem, si ventriculus male affectus est, rarius observatur. Incubitus vero lateris dextri dolores, qui sinistram plerumque stomachi partem, saccum coecum, obtinent, minus tollet. Saepius quoque cerebri officium nervorum consensu morbi stomachici abalienant. Praeterea linguae conditio certius stomachi, quam pancreatis vitii signum offert. — Hepatis malam affectionem symptomatibus biliosis: amore oris, colore icterico, doloribus sympathicis extremitatum dextrarum, cephalalgia cognosces, praecipue autem, quominus dextro lateri incumbat, aeger impeditus est. Praeterea regio hypochondriaca dextra digitis exploranda atque, utrum dolor adsit, an adfuerit, quaerendum. Sin autem vesicula fellea affecta est, in hepatis margine eam tanges, neque signa

hepatica adesse solent. Nequaquam autem in utroque hoc morbo maciem tam celeriter irruentem videbis.

Sin vero lien male sese habet, et vomitus et diarrhoea rarius observantur, et quando adsunt, cruor gummosus, ater plerumque abjicitur. Quibus dolor et in regione hypochondriaca sinistra, quem digito premens augebis, et extremitatum sinistrarum sympathicus accedit. Etiam digitis perscrutando, ut locum affectum facilius cognoscas, efficies.

Renum vero aegrotantium praecipue urina excreta signa largitur. Quasi formicarum in femore repentium sensus atque femoris stupor percipitur. Testiculus abdomini affigitur. Dolet regio renalis. Incumbitus resupinus, dorso aliquantum elevato, maxime conducit.

Tractum autem intestinorum aegrotum fere semper vomitus deficit, aut, si quando adest, certo post pastum tempore cibos concoctos ejaculans prorumpit. Etiam diligenter manu abdomine indagando atque ex loco invento, quem dolor occupat, aliquid proficies.

EXITUS MORBORUM PANCREATIS.

Raro tantum in valetudinem secundam hi morbi decurrunt, quod si fit, plerumque sine crisi convalescunt aegroti. Saepius autem leviores in alios pancreatis morbos graviores exeunt, e. g. pancreatitis in suppurationem, aut in indurationem, induratio vero in scirrhum etc. abit. Crebro etiam aliorum organorum morbos incitant. Si enim ductus choledochus pancreatis onere invius factus, aut si una cum ductu pancreatico in os mutatus est, icterus oritur. Etiam vasorum sanguiferorum vitia, morbi cordis, lienis reliquorumque abdominis viscerum,

incumbente venis et arteriis pancreatis mole, gignuntur. Melaena quoque pancreatis suppuratione existere potest. Plerumque autem in phthisin, aut in hydropem abeunt morbi pancreatici; quare saepissime morte finiuntur, quae quidem hos morbos ipsos minus excipit, sed mala, quae eos sequuta sunt.

AETIOLOGIA.

Morborum pancreatis causas, ut cujusvis alius morbi, duplices esse oportet, et quae proclivem reddant hominem, et quae, existente jam hac indole, morbum ipsum excitent. Causae autem tum externae quum praedisponentes satis adhuc in obscuro versantur, neque multa igitur de his afferri possunt.

1. *Causae praedisponentes.*

Magis ad hos morbos infantia inclinat, iique imprimis parvuli, qui, scrophulosi laborantes, diarrhoeas crebriores aquosas jactant et sialorrhoeam abdominalem sustinent eo potissimum tempore, quum dentes sunt erupturi (1). Aetas autem virilis his malis minus subjecta. At senectus magnopere illa fovet. Marasmo enim defuncti pancreas aridum et exsiccatum plerumque praebent (2).

Foeminas autem viris majorem proclivitatem habere, et ex laxiore earum corporis structura elucet, et expe-

---

(1) Wedekind Aufsätze über versch. wicht. Gegenst. d. Arzneiwiss. Leipz. 1791. p. 336.

(2) Siebold diss. sist. histor. system. salival. physiol. et pathologice considerati. Jen. 1797. p. 122.

rientia docet (1). — Etiam homines, qui temperamento phlegmatico uti ajunt, praediti sunt, proniores ad hos morbos inclinant.

Corporis structuram perversam, formam gibbosam, lordosin imprimis et scoliosin causam nonnulli arguunt (2).

2) *Causae occasionales.*

Vivendi autem rationem haud parvi momenti esse, constat. Qui enim vitam degunt sedentariam et qui trunco in adversum inclinato assidue opera faciunt, pancreaticis morbis saepe prosternuntur.

Remedia quoque et nutrimenta, quae valde tractum intestinorum irritant, imprimis autem sialagoga, nec non contagia quaedam et miasmata, quae glandulas salivales ceteras vehementer stimulantes salivationem excitant, eodem modo pancreas afficiunt. Emetica et drastica remedia, quibus abusus eris, mercurialia, capsicum annuum, nicotiana, armoracia, sinapis, radix pyrethri etc. pancreas aegrum reddere possunt. Etiam veneno hydrophobico pancreas affici dicitur (3).

Neque minus illi, qui spirituosa et prae ceteris vinum adustum (4) immodice hauriunt, et etiam, qui herbae nicotianae fumo semper delectantur simulque malam

(1) Harles l. c. p. 39. Schoenlein l. c. I. p. 403.

(2) Siebold l. c. p. 124.

Schmidt. Beschreib. ein. neuen Masch. z. Verminder. u. Heil. d. Buckels. Leipz. 1796. p. 25.

(3) Harles l. c. 27.

Siebold l. c. p. 147.

(4) Schoenlein l. c. 403.

multum exspuendi consuetudinem exercent (5), vitia pancreatis sibi contrahunt.

Alios etiam morbos causas merito accusamus: arthritidem anomalam, febres intermittentes, chlorosin, menses cessantes, quibus major sanguinis copia in abdomine accumulatur. Syphilin quoque e suspicione vindicare se posse, nonnulli negant. Quin vero scrofulosi magna in hac re culpa tribuenda sit, vix dubitandum (2). Praeterea cujusvis partis adjacentis mutatio morbosa pancreaticis vitium gignere potest. Etiam si testiculus male affectus est, aut si exstirpatur, pancreas inde quasi metastasi laborare et saepius suppuratione consumi, memoria dignum. Organorum secernentium, quae cum pancreate consensu quodam nervorum conjuncta sunt, vel simili munere funguntur, si tollitur et supprimitur officium, facile fit, ut pancreas secretionem quasi vicariam instituat. Ptyalismo enim glandularum oris suppresso, saepe diarrhoeam salivalem oriri videmus. Eodem fere modo, urina suppressa, diarrhoea urinosa interdum ex pancreate fluere dicitur (3).

Vi autem externa, ictu, impressione vehementi cet. rarius ob situm remotum et absconditum offendi poterit pancreas.

Etiam cruditates et aciditatem primarum viarum, praecipue autem vermes, in tractu intestinorum vitam agentes, ad causas illas referendas esse, existimemus.

---

(5) de Hildenbrand instit. practico-med. Vindob. §. 800.
(6) Harles l. c. p. 39.
Hufeland Journ. 1816. St. I. p. 43.
(3) Rhodius cent. obs. 84.

PROGNOSIS.

Quodsi ad illa, quae supra dicta sunt, respexeris plerumque malum, saltem dubium morbi exitum fore auguraberis, non quo tam intensus sit morbus, sed quia principio, ubi sanatu facilior, cognitu eo difficilior est. Sed causae quoque maximam partem tales sunt, quales, prognosin bonam nos divinari, minus patiuntur. Variam igitur pro variis causis et pro morbi statu et indole prognosin sistes. Omnino magnopere hi morbi in hydropem aut in phthisin abire amant, hanc autem malunt. Diarrhoea et vomitus interdum criseos locum tenent, nonnunquam autem paulatim aegroti convalescunt.

CURA.

Ex diversis vero pancreatis morbis diversam institues sanandi methodum. Si enim inflammata est glandula, adparatus antiphlogisticus adhibendus, sin autem atonia laborat, hydrargyri praeparata, remedia excitantia et roborantia utilia erunt. Si vero pancreas in deterius mutari vult: ulcus artificiale constituendum, salia solventia porrigenda. Praeterea imprimis stomachum tractumque intestinalem observes, neque ejus excretiones plane supprimi, neque nimias fieri, concedas. Vomitum autem vehementem coerceas atque impedias. Aegrotos vero plantis et diaeta lactea seroque lactis nutrimento uti, jubebis. Mercurio ne abutere, sed, si opus est, parvis tantum dosibus porrige. Etiam, ne vi externa lacessatur pancreas, aeger caveat.

SINGULI PANCREATIS MORBI ENUMERANTUR.

1. *Erethismus pancreatis.*

Dolorem exiguum tendentem et anxietatem quandam in scrobiculo cordis haerentem aegrotantes sentiunt. Salivatio accedit et spontanea et paucis hydrargyri granis excitata, neque ore, neque collo signa morbosa praebente. Quae autem ptyalismo abdominali, qui etiam minimis mercurii dosibus cieri dicitur, ejaculantur, aquosa, spumosa, tenacia sunt, plerumque sine faecibus, interdum etiam cruenta; aliquando diarrhoea salivalis cum alvi obstructione alternat. Lateri dextro et tergo incumbere, aegrotus amat. Appetentia carnis magna, attamen emacescit corpus.

Imprimis autem in iis, qui aciditate stomachi laborant et in chloroticis hic inveniri dicitur. Etiam in iis, qui jam multum hydrargyri sumserunt, adesse illum suspicaberis.

Si in eum recentem medicaminibus impetum ceperimus, facilior sanatu erit, sin autem longius tempus perstiterit, ne in hydropem, aut in phthisin abeat, periculum erit.

Cura autem eadem, atque in ptyalismo oris, instituenda; primum igitur des: dec. alth. cum extr. cicut., aut cum opïo, laurocer. aqua; deinde ad adstringentia venies. Si diarrhoea vehemens est, parva emetica ex ipecacuanha, dein etiam opium cum gi. kino proficient. Cataplasmata ex hb. cicut., hyosc., bellad., abdomini imponere, etiam validiora derivantia cuti adplicare et balnea calida adhibere, utile est. Praeterea diaeta blanda, nutrienti, lactea, vegetabili utatur aeger.

2. *Atonia pancreatis.*

Sive inflammationem sive erethismum sequitur. Regio epigastrica obtuse dolet, tumet, tensa est. Aeger salivam ejicit multam, vomit, emacescit. Faeces vero aut rarae et siccae sunt, aut omnino non emittuntur.

Cura ad statum aptanda et quae corpus confirmet, irritet, nutriat; et quae pancreas ipsum stimulet et alvi obstructionem pertinacissimam tollat, quod hydrargyro plerumque fit. Simul unguenta irritantia abdomini infricanda, praecipue linimentum volatile.

3. *Pancreatitis acuta.*

Dolor fixus, opprimens inter scrobiculum cordis et umbilicum, quem locum supra accuratius determinavimus, adest, dum organorum finitimorum aegrotantium symptomata desunt; sternutatione, tussi et impleto ventriculo augetur, vesperi in ardorem modicum transit. Si truncus in adversum flectitur, quasi onus in stomachum et abdomen decidit. Sialorrhoea abdominalis, quae initio non fluit, postremo salivationem comitatur, vel sequitur. Sin autem morbus vehementior est, etiam et sedes adstrictae et os plane siccum esse possunt. Nausea oritur et vomitus; sitis vehemens ardet. Iucubitus sinistri lateris et, si stomachus refertus est, etiam tergi omnia haec signa auget, status celsus et erectus haud diu sustinetur. Plerumque febris flagrat; interdum etiam animus percellitur.

Morbus rarissimus tribus aut quatuor diebus decurrit, maximo pronus ad iterationem. Diarrhoea et vomi-

tus interdum criseos locum tenent, nonnunquam etiam paulatim morbus decrescit.

Curam autem antiphlogisticam et demulcientem adhibebis. Porrige mucilaginosa cum absorbentibus et opio; inf. bellad. cum extr. tarax.; extr. graminis, admixto tart. stib. refracta dosi, quamdiu vomitus non adest. Hirudines aut cucurbitulae loco dolorifico adplicandae. Fomentationes ex speciebus emollientibus alvo imponendae, praeterea balnea calida utilia sunt. Derivationem institues praecipue apud foeminas clysmatibus et pediluviis, apud viros etiam per renes herba digital., terebinth. cum sulphuris parvis dosibus mucilagine multa involutis. Nutrimenta autem omnia, quae stimulant e. g. zingib., piper., spirit., aegrum vitare oportet; sed mucilaginosa, saccharina, succos herbarum recenter expressos, serum lactis consumat.

4. *Pancreatitis chronica.*

Ardorem quendam in regione epigastrica inter processum ensiformem et umbilicum magis dextrorsum et columnam vertebralem versus haerentem, qui uno tenore adest et periodice augetur ad sensum vehementiorem, dolori colico haud dissimilem, aegroti sentiunt. Quodsi regionem illam digitis indagaveris plerumque neque tumentem, neque tensam, imo interdum molliorem invenies. Si autem, relaxatis abdominis integumentis, valde presseris, aut si corpus in adversum erit curvatum, nonnunquam dolor increscit. Eructantium frequenter os saliva proprii saporis saepius impletur. Quae quidem eructatio postremo aucta in vomitum transit, quo salivae tenacis, albuminosae, acute sapientis magna saepe

vis ejicitur. Sedes autem initio tantum morbi rariores, quo magis profecto semper diarrhoea illa aquosa prorumpit. Facies vero abdominalis, uti vocant, minime abest. Emacescunt celeriter aegroti et omnino viribus destituuntur. Anxietate quadam mira afficiuntur, animo multum prosternuntur. Incubitum lateris dextri facilius ferre possunt. Postremo intumescunt abdomine, hydropici fiunt pedibus, accedit febris, quae antea rarius aderat et omnino fortasse tum demum, quum jam glandula suppurat et phthisis aegrum conficit, florere coepit et quidem tempore vespertino.

Ut in bonam abeat valetudinem, tantum reproductione sensim firmata, sine crisi efficitur. Saepius autem in alium morbum transit: in exulcerationem et phthisin, in scirrhum; frequentius vero induratur glandula, quam suppuratione dissolvitur. Mors igitur nunquam pancreatitide chronica ipsa, sed tantum illis degenerationibus arcessitur.

Quam curam instituimus, fere eadem atque in pancreatitide acuta, sed minus antiphlogistica, magis derivans. Praeterea, si, ne induret glandula, metuimus, sal ammon. c. kerm. miner., aut sulph. aur., et ammon. carbon., natr. carbon., atque, si secretio non aucta est, calomel porrigimus. Unguenta volatilia c. ungt. ciner. infricanda, empl. vesicans ventriculi regioni adplicandum et alias etiam ulcus artificiale formandum. Balnea quoque ex sapone parata conducent.

5. *Induratio pancreatis.*

a) Sine tumore.

Dolor opprimens in epigastrio et vomitus sempiter-

nus adest, et hic quidem praecipue post coenam et tempore matutino, qui, si supprimitur, majores etiam molestias affert. Ejicitur autem mucus spumosus, aquosus etiam stomacho jejuno, cui, si non simul cibi admixti sunt, pancreas solum affectum esse dicitur. Quo facilior omnino vomitus aquosus, spumosus fit, eo simplicior morbus. Quo vehementior autem nausea et eructatio, eo certius cum aliis morbis eum complicatum esse, judicandum est. Etiam sialorrhoea filiformis, insipida simplicem indicat morbum, sin autem amara, biliosa, acuta est, alii quoque adsunt morbi. Si diarrhoea satis large fluit, salivatio minor et malum simplex est. Si vero illa minor, aut si sedum obstructio una cum salivatione adest, alium etiam morbum participem esse, suspicabimur.

Stomacho jejuno et musculis abdominalibus laxis pancreas loco, quem supra statuimus, induratum tactui aderit. Sensum cujusdam corporis duri inter stomachum et columnam vertebralem sedentis aegroti percipiunt. Incumbere lateri dextro maxime iis conducit.

b) Cum tumore.

Sensus quidam tendens, premens praecipue trunco incurvato, epigastrium perpetuo occupat. Tumor digitis facilius indagatur. Interdum longum tempus perstat induratio neque accrescit atque largam materiae excretionem alit, quae eructatione et per anum abjici videtur, etiamsi nausea, sensibilitas et oppressio regionis ventriculi remittant, neque etiam digestio molestior est, nisi aut excretio imminuta, aut ductus excretorius invius est. Postremo autem induratio magis extenditur totamque glandulam paulatim occupat atque maciem, post

plures annos mortiferam, adducit. Aegroti saepe morosi et difficiles redduntur.

Plerumque autem hic morbus pancreatitidem chronicam sequitur, quae etiam, modice flagrans, illum comitatur. Hb. belladon. levare malum dicitur; etiam rad. saponar. et salia solventia lenia celebrantur; opium et hyosc., dec. humuli lup. c. op. aut c. aq. lauroc., etiam asa foet., fl. benzoes morbo conducere traduntur. Ungt. hydrarg. et linim. volat. inunguenda sunt. Ad salivae acidum tollendum porrige: natr. et ammon. carb., aq. calcis, aq. selteranam. — Diaeta, quam supra attulimus, aegrotus utatur.

6) *Suppuratio pancreatis.*

Maxime haec pancreatitidem acutam excipit. Pus autem sive in abscessum collectum clausum servatur, sive in organa vicina infunditur eaque diruit et phthisin affert. Sin autem fortuna favet, etiam per ductum Wirsungianum in tractum intestinorum effluit et abjicitur, quo facto abscessus sanatur.

Praeter alia illa signa jam allata praecipue pus, quod urinae admixtum est et febris hectica, quae malum comitatur, ad diagnosin aliqua adferre poterunt.

Contra suppurationem hanc remedia irrito adhibentur. Ad maciem autem et virium debilitatem coërcendam medicamina, quae vocant tonica et nutrientia, danda sunt.

7) *Phthisis pancreatica.*

Sic enim illam phthisin, quae pancreatis vitiis creatur, appellant. Nam sive ex secretione pancreatis nimia

et ex inflammatione chronica, sive ex induratione, sive ex suppuratione et exulceratione originem ducit. Quae igitur adfuisse, scire nos, oportet, ut phthisin ex pancreate deducere possimus.

Medico autem, quum causae morbi non fere removendae sint, id imprimis agendum, ut corpus viresque aegroti, quantum fieri poterit, ad regulas, quae etiam in ceteris phthisibus valent, sustentet atque confirmet.

8) *Lapides pancreatis aliique morbi.*

Hujus morbi nostra quidem aetate certa signa dari non possunt. Nonnunquam autem pancreati lapides inesse, ex cadaveribus dissectis constat. Nam de Graaf septem ad octo, Portal etiam plures lapides invenit. Ubi vero eos adesse suspicaris, diligenter faeces perscrutari te oportet. Interdum doloribus dirissimis aeger cruciatur. Cave, ne certo malum exitum augureris, quia vitium brevi remittere potest; macies tollitur et pro morte, quam minatus es, valetudo venit secunda. Ad terendos lapides alkalia commendanda sunt.

Pancreas interdum etiam scirrho, carcinomate et alio modo dirui potest. Stoerck (1) de homine narrat, cujus pancreas in saccum librarum tredecim sanguine repletum distractum erat. Etiam hydatides, vermes in pancreate ejusque ductu inventi sunt. Quibus omnibus malis multi saepe dolores, facies pallida, cachectica, macies et virium debilitas exoriuntur. Sed quum cujusvis mali certiora signa adhuc plane in obscuro versentur, etiam cognitu difficillima imo neque cognoscenda neque sananda plerumque esse, satis apparet.

(1) Ann. med. secund. p. 248.

VITA.

Kirnae ego, oppidulo prope Confluentes sito, Carolus Ludovicus Medicus, fidem confitens evangelicam, anno MDCCCX natus sum, patre Carolo, matre Elisabetha, e gente Schramm, quos parentes dilectissimos jam dudum obiisse, majorem in modum lugeo.

Primis, quibus instrui solet juventus, litterarum elementis in urbis patriae scholis et plebejis et altioribus imbutus, in gymnasia et Crucenacense et Confluentinum me contuli, quibus annos quatuor frequentatis, maturitatis testimonio anni MDCCCXXX auctumno dimissus, medicinae studio operam daturus, in universitatem litterarum Heidelbergensem abii ibique hisce interfui praelectionibus:

Ill. Bischoff de botanice generali; Ill. Dierbach de botanice speciali; Ill. Gmelin de chemia; Ill. de Leonhard de mineralogia; Ill. Fr. Arnold de osteologia et de anatomia et physiologia organorum sensuum et systematis nervosi; Ill. Tiedemann de anatomia et de secandorum cadaverum arte, de physiologia hominis et de physiologia foetus; Ill. Arnold de materia medica, Ill. Puchelt de pathologia et therapia.

Biennium ibi moratus, a. MDCCCXXXII autumno in academiam Berolinensem profectus, in exercitum regium adscriptus, curandis militibus per annum incubui, et, ab Ill. Weifs, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos, ab Ill. Osann, t. t. gratiosi medicorum ordinis decano spe-

ctabili, inter medicinae studiosos receptus, praeterea has frequentavi scholas: Cel. **Michelet** *de logice; Ill.* **Rust** *de chirurgia et de morbis syphiliticis et ophthalmicis; Ill.* **Busch** *de arte obstetricia.*

Etiam exercitationibus clinicis et medicis ducibus Cel. **Wolff**, *Ill.* **Bartels** *et Cel.* **Truestedt**, *chirurgicis Ill.* **Rust** *et Ill.* **Dieffenbach**, *et ophthalmiatricis Ill.* **Juengken** *usus sum.*

Quibus viris illustrissimis omnibus, maxime de me meritis, gratias ago quam maximas, atque pia grataque mente eorum semper servabo memoriam.

Tentaminibus vero cum philosophico, tum medico, examineque rigoroso coram gratiosa facultate medica rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES.

1. *Sanguini propria vitae vis inest.*
2. *Cura hydrocelis incisione facta ceteris praeferenda.*
3. *Hydrothorax semper cum universali affectione asthenica conjunctus est.*
4. *Omne venenum est medicamentum.*
